



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv**

**Reggio, Carlo**

**Romæ, 1612**

De pueris, iuuenibus, viris, ac mulieribus. cap. 21.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

& obedientiam imitare sponsum tuum Christum, qui fuit parentibus subiectus, esto auia, matrique subiecta, nullum viro- rum & maxime iuuenem, nisi cum illis videas, nullum scias, quem illa nesciant. Rideri, & ridere secularibus relinque ] Præter orationem temporibus suis: addit, Cibi non fumantur nisi oratione præmissa, nec à mensa surgendum, nisi gratiæ referantur creatori. Egredientes de hospicio, armet oratio, regredientibus occurrat oratio priusquam sessio ] Hortatur ad solitudinem, & cautelam in Epistola ad Eustochium. Obtestor ait coram Deo, & Angelis eius, ne vasa Templi facile in publicum proferas, ne Sacrarium Dei quisquam prophanus inspiciat. Oza arcam, quam non licebat attingens, morte subita prostratus est, neque enim vas & argētum tam Deo carum fuit, quam templum corporis Virginalis ] D. Basil. ad custodiam sensuum omnium, maxime adhortatur Virgines, Sancta (ait) Virgo sen- sum fenestris custodem admoueat rationem, eorumq; ad ex- teriora progressum, nequaquam transitu libero permittat.

Epist. 22.

Lib. de ve-  
ra Virgini-  
tate.

De Pueris, Iuuenibus, Viris, Senibus, ac Mulieribus.  
Cap. XXI.

Veri admoneantur vt maioribus deferant, eorumque con- filijs adhæreant, & senum doctrinam audiant, vt Christus erat inter Doctores audiens & interrogans, vt ab omni puerili leuitate abstineant. Tobias nihil puerile gessit in opere, vt Tē- pla, & Conciones libenter adeant; exemplo D. Nicolai, stu- dijs vacent à prima ætate. Paulus ad Timotheum, Ab infantia literas sacras nosti. Abhorreant consuetudinem malorum, vt Tobias, Nunquam (ait) cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Domi se contineant inter suos, sicut laudatur Iacob quod domi moraretur. Assuescant Sacramento confessionis etiam in minimis peccatis, sicut etiam de his mi- nutissimis accusat se Augustinus in confessionibus; Denique vt obseruent illud Ecclesiastici, Fili à iuuentute tua excipe do- ctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. Adolescentes, & iuuenes doceantur eam ætatem esse florem totius vitæ, in qua maxime debeant Deo seruitutem exhibere Eccles. Memē- to Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tē- pus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dicas nō mihi placent, & Malach. Maledictus homo, qui habens in gre- ge suo masculum (hæc est ætas iuuenilis) & votum faciens im-

Pueri.

2. Tim. 3.

Tob. 3.

Gen. 25.

Lib. 10.

Eccl. 6.

Leges pro Iu-  
nioribus.

Eccl. 12.

Mal. 1.

immolat debile Domino (hoc est senectam) quia magnus ego, dicit Dominus exercituum, & Hierem. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Explicet tum maxime adhibendam esse diligentiam, quando maiorem difficultatem suggerunt fomes concupiscentiae, ac perturbationum impetus.

*Tbren. 3.* Inde enim dicitur Prouer. tria sunt difficulta, & quartum penitus ignoro, quod est via viri in adolescentia sua. Moneat valde esse periculosum si eo tempore prauos vitiorum habitus contrahant, cum habitus difficile amoueat, etiam in senectate, vt Spiritus Sanctus docet, Adolefcens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Proponat huic aetati quanti momenti sit mature deliberare de statu eligendo, quem tenere debeat tota vita, quam deliberationem difficillimam esse declarat, non solum quia totius vitae negotium agitur, sed etiam quia debet fieri in aetate, tum imprudente, tum perturbationibus subdita. Quare Deum orandum esse vt inspiret quod ad eius gloriam aptius futurum sit, & animam suam salutem, & diu multumque rationes perpendat, antequam certi quicquam decernat, & patris spiritualis ac sapientum adhibenda consilia, & alia quae supra proposuimus. Admonendi praecipue sunt, vt detestentur vitium incontinentiae, ostendendo eius turpitudinem, & mala quae secum affert, & quomodo debeant occasionem eius euitare, & ante omnia conuictum & consuetudinem eorum, qui incontinenter viuunt, a qua tanquam a peste, & incendio, longissimè fugiendum est. Contra excitandi ad pudicitiae, atque honestatis amorem, proponendo eius pulcherrimam formam, & tam multa, quae secum bona omnibus apportat. Mores Iuuenum qui sint, in secunda parte ex Aristotele tetigimus. Inde poterit Christianus Orator iuuentutem docere & hortari; Exempli gratia, quonia sunt ad cupiditates proni, moneantur ne amore voluptatis, Dei voluntatem, ac legem parui faciant, & quia sunt studiosi sodalium in conuiuendo magis quam caetera aetates, curent ne prauorum iuuenum consuetudine deliniti, ad peccata trahi se sinant, Prouer. Fili mi, si laetauerint te peccatores, ne acquiescas eis, Et quia rerum agendarum experientia carent, non sinant se a peruersis circumferri in malum; Et quia solent esse audaces, & animosi, doceat veram magnanimitatem in superandis animis inconditis affectibus, praecipue sitam esse. Et quia facile mutantur, explicet quam sit res indigna Christiano & graui iuvene leuitas puerilis. Remedia ad continendam iuuentutem in officio sunt, su-

Iuuenes quo modo ad virtutem inducendi.

*Prou. 1.*

ga otij, custodia sensuum, ac linguæ, studia literarum, consuetudo cum viris prudentibus ac bene moratis, lectio librorum spiritualium, & auditio verbi diuini. Sacramentorum frequentia, orationis studium, Deuotio ad Beatissimam Dei Genitricem.

Ad Viros ætate matura, & graui ornatos ita sermo est habendus, vt agnoscant ingenium, ac indicium quo vigent Dei gloriæ accomodandum esse vt iuuenibus exemplo sint. Senes non nisi modeste sunt reprehendendi, maximè si iuuenis sit concionator. In quo autem sint monendi, Paulus scribit; Senes sobrii sint, pudici, prudentes, fani in fide, in dilectione in patientia. Anus in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruietes, benè docentes. Si quando ad mulieres vel solas, vel cum alijs inter concionandum orationem habet, monebit ne cultui corporis immodico sint deditæ, sed seruent quod eas docent Ecclesiæ Principes Petrus & Paulus. Ille ait, Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; Hic vero Mulieres cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, & auro aut margaritis, vel veste præciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Contra fucum mulierum, maximè Cyprianus inuehitur, quas ait à Deo non esse cognoscendas, vt quæ figuram aliam acceperint ab ea, in qua Deus eas formauit. Opus hoc (dicit Deus in iudicio) meum non est, nec imago mea est, cutem falso medicamine polluistis, crinem adulterino colore mutastis, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre nō potestis, non est iste color quem Deus fecit, sed quem Dæmon infecit. ]

Non debent esse otiosæ, non verbosæ, non vagæ, vt illa mulier vaga, & garrula non valens consistere in domo sua, debent esse elemosynis deditæ vt illa quæ manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem; debent esse occupatæ vt de eadem canit Spiritus Sanctus; Apprehendit lanam & linum, & panem otiosa non comedit; habeant tempus orationis, curam domus diligenter exerceant, adiuuent viros suos in spiritualibus, non consentiant in vsuris, vel alijs peccatis. Et quoniam periculosa est nimia familiaritas cum viris, moneantur mulieres vt vitent frequentia colloquia cum eis, tum periculi sui causa, tum alienij, ament silentium quia in Prou. dicitur, qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Et quoniam mulieres ad pietatem procliuēs sunt,

Ss 2 propo-

Viri & Senes.

Ad Tit. 2.

Mulieres.

1. Pet. 3.

1. Tim. 2.

Lib. de disciplina. & hab. Virg.

Prou. 7.

Prou. 21.

Contra Me-  
retrices .

proponat sancta opera quibus dedita esse debent, vt sunt ora-  
tiones, sacramenta, elemosynæ. Si quando ad mulieres prosti-  
tutas & meretrices, vel aliter male viuentes habebitur sermo,  
vel inter concionandum de ijs mentio incidet, toto hoc de ge-  
nere cum nausea, & stomacho dicet, significans quam sint à de-  
monibus possessæ; & inferni catenis alstrictæ, & instrumenta  
Diaboli ad animarum ruinam. Ostendat primo quam grauiter  
peccent non solum in malum suum, sed in scandalum multorum,  
sunt enim quasi incendiariæ Ciuitatum; Colloquium illius quasi  
ignis exardescet, & non solum rebus aut corporibus inferunt  
damnum, sed maximè animabus quas laqueis diaboli irretiunt.  
Nam Ad vincula stultus rapitur; & Inueni amariorem morte  
mulierem, quæ laqueus est venatorum (id est dæmonum) sage-  
na cor eius, vincula manus. Secundò quam sint abominabiles,  
ac detestandæ; Mulier fornicariæ quasi stercus conculcabitur,  
præsertim cum amittitur verecundia, & pudor, in peccato vi-  
lissimo, & tam infami, quod Deus maximè odit. Tertiò propo-  
nat ea quæ renouare possunt ab hoc barathro, quæ sunt, Dei be-  
nignitas Hierem. Tu autem fornicata & c. veruntamen ad me  
reuertere dicit Dòminus; Timor gehennæ. Veni ostendam tibi  
damnationem meretricis magnæ; Gratia item concessa B. Ma-  
riæ Magdalenæ post conuersionem, quæ prius erat infernus qui-  
dam dæmonum, facta est paradisi Angelorum, quæ (vt ait  
Augustinus) Frontosa erat ad perditionem, sed frontosior ve-  
nit ad salutem.

Eccl. 9.

Prou. 7.

Eccl. 7.

Eccl. 9.

Hier. 3.

Apoc. 15.

In Ps. 125

De alijs Statibus . Cap. XXII.

Aulicorum  
peccata .

Act. 17.

SEPTIMO eodem modo pro loco ac tempore poterit admonere  
sui officij omnes alios in quocunque statu; scilicet Auli-  
cos Aduocatos Medicos, Mercatores, Milites, artifices, paupe-  
res, ac mendicos. Aulicorum status non caret periculo. Pecca-  
ta eorum sunt, Adulationes, simulationes, mendacia, quia veri-  
tas odium parit, quare sapienter à multis dictum hoc vnum  
deesse Principi, cui omnia videntur præsto esse, nempe qui ve-  
rum ei dicant. Inuidiæ inter sui similes, obreftationes & infam-  
iæ, ambitiones, deliciofa, ac proinde mollis, & delicata vita,  
plurimorum seges malorum. Solent spargere falsos rumores  
sæpe cum infamia aliquorum, quia plerique illorum laborant  
illo vitio quod dicitur in actis Apost. Ad nihil aliud vacant,  
quàm aut dicere, aut audire aliquid noui, non solent esse mis-  
ericordes